

THALIA  
luggens  
OBITUM  
VIRI  
*Nobilissimi, Amplissimi atq; Doctissimi,*  
DOMINI  
M. JOANNIS  
SCHULTZII,

*Philologi ac Polyhistoris Celeberrimi, ac Rectoris  
Gymnasii Budissini meritissimi,*

*Præceptoris omni honoris cultu post fata  
etiam devenerandi,*

*Die XV. Febr. mane Rebus humanis beata  
morte exempti,*

*Die autem XVII. Eiusdem.*

*Anno M DCC XI.*

*Christiano more tumulati,*

*Debitæ Pietatis & observantie in B. Defunctorum  
ostendendæ Gratia, simplici, at piatamen  
& tristi admodum crena producta*

*ab*

*AUDITORIO SUPREMO.*

---

BUDISSE, LITERIS RICHTERIANIS.



Kapsel 78 N 14 [59] AK



Ooperat emenos hominum mulcere labores  
Dulci nox gremio, & paulatim abduxerat umbras.  
Provocat ore novum lucis prænuncius ales  
Excubitor diem, qvum coelum albescere vidit,  
Protinus ecce! polo surgit (mirabile visu)  
Prodigiale jubar, dum circumfusa repente  
Scindit se nubes, & in æthera purgat apertum.  
  
Qualis ubi oppositas nitidissima Solis imago  
Exuperat nubes, tandem umbris undique viëtis  
Terrarum lustrat rapidis spatia omnia flammis,  
Conspiciebatur cœlo fulgente caterva,  
Quam genus esse DEum (nisi me sententia fallit)  
Adsererem; nam sic oculos, sic ora ferebant.  
Quilibet in Solio puris flammante Smaragdis  
Sedit, & Assyrium crines spirabat odorem.  
Clara magis gemmis lucentibus ora videres,  
Quanto candidior, quam cætera sidera, fulget  
Lucifer, & quanto, quam Lucifer, aurea Phœbe,  
Hasce DEas multum svavi dulcedine lœtas  
Miscentes voces accessit mœsta Thalia,  
Nuncia gestarum tum præstantissima rerum,  
Temporaque insolitis vittis velaverat, ipsum  
Demittens vultum curis ingentibus ægrum,  
Susppirans imoque trahens de pectore vocem,  
Tristior & lacrymis oculos suffusa nitentes  
Tandem morentem vultum demissa profatur:  
Me miseram! (neque enit vocalibus ordiar undis

Ca-

INDORIO SUPREMO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY LIBRARIES



Castaliæ, patriam nec fas impellere Cyrrham.)  
Heu mea corda situ squalent, quis nubila menti  
Frigida supponit, quis curas excitat istas,  
Et quo secreto yelluntur pectora morbi?  
Parcite ter trinæ plectris fidibusque sorores.  
Splendor jam valeat; valeat jucunda voluptas.  
Læti animi quæ sunt, abeant felicia signa,  
Plangite, vosque comam mœsta yelate cupresso.  
Fas luctum pietasque jubet, jubet arctior ulus  
Sangvinis, (heu miseras!) dum inconsolabile vulnus  
Mente Soror gestans lacrymis consumitur omnis.  
Ecce! suis emissâ iterum metuenda tenebris  
Tisiphone, atratas cui lambit vipera vittas,  
Profilit in terram, & tædas perpessa furentes  
Lethiferum spargit semen, prosternitur ingens  
Cultor, quo triplex gaudebat Triga sororum,  
Schulzius heu! periit, periit mea Cura, Decusque,  
O Fatum durum! Quis in illo iussit iniquas  
Sic sœvire Deas? quis inexorabile Clotho  
Volvere opus? lœva turbareque gaudia dextra?  
Cor nisi tam justos possit sentire dolores,  
Durius hoc certe ferro laxoque putetur.  
Quis melius poterat primis elementa docere,  
Addictos sacris, nostrumque Helicona petentes.  
Omnia Cecropiæ relegens secreta senectæ.  
Ac prodens, quod quisque novum mandaverat ævd.  
Quæ capit ingenium, quodecunque industria scire,  
Selegit, seu se Sophies per compita duci,  
Sive per annales voluit momentaque prisca,,  
Seu Latii Veneres prisca discernere forma,,  
Majestate sua seu doctas Hellados artes  
Pandere, Schultzziadæ fluxerunt pectora cuncta.,  
Quid non audebat generosior indolis ardor.,  
Qua solitas hominum longe transcendere metas  
Noverat, & tenebris ad lucem tendere viæts.,  
Edita quo posset Mularum visere tempia.,  
Despicere unde alios licet, passimque videre.,  
Errare, atque viam palantis querere vita.

Verum

Verum summa dies, & inevitabile tempus  
Venit, quo cuncta in cineres gravis intulit hora  
Indolis egregiae & longi documenta laboris.  
Dignus erat Pylios, si quisquam, vivere in annos,  
Sed morte invisa rapitur, tabulisque silentum  
Inseritur Juvenis, cuius sub fronde latebat  
Pindus, & omnigeno coiit doctrina paratu.  
Cur tollis, Libitina, virum? Cur commoda nobis  
Incidis? cur est leve deseruisse juventam.  
Tale Caput, dudum quod lecula sera precantur?  
Sic effata sinum lacrymis implevit obortis.  
Tum chorus ipse facer multum præcordia motus  
Fundebat tristes moesto de pectori voces.  
Omnis & hoc passis stat funere turba capillis,  
Indicitque moram studiis, & parcior exit  
Castalius, Lessusque perit singulibus ipisis.  
Sed Clio, qua sola vetera succumbere morti,  
(Omnia cum rodat, vel sint adamantina, tempus.)  
Dignum laude virum, dictis affatur amicis.  
Alloquoque levare suo conata sororem:  
Siste, inquit, fletus, soror, omnes fiste, querelas:  
Nam quid inexhausto prodest tabescere planctu?  
Non omnis periit Cultoris Gloria, tantum  
Quod mortale fuit, rapuit Libitina, sed illa  
Pars vitae potior superata morte triumphat.  
Durabit virtus omni vivacior ævo,  
Vnum illud repetens iterumque iterumque monebo:  
In Caput ante suum Svevus labatur & Albis,  
Vistula Saxonicos nobis prius irriget agros,  
Lethæis quam nomen aquis laudesque dabuntur,  
Quas sibi succensus multa dulcedine famæ,  
Schultziades unquam petierit fruiturque petitis,  
Exæquans studio clarissima Lumina Pindi.



THALIA  
OBITUM  
VIRI

mplissimi atq; Doctissimi,

B.I.G.

MINI  
ANNIS  
JLTZII,

Roris Celeberrimi, ac Rectoris  
Budissini meritissimi,

ni honoris cultu post fata,

devenerandi,

nane Rebus humanis beata

orte exempti,

XVII. Ejusdem.

M DCC XI.

o more tumulati,

obseruantiae in B. Defunctum  
ratia, simplici, at pia tamen  
nodum crena producta

ab

RIO SUPREMO.

LITERIS RICHTERIANIS.



Kapsel 78 N 14 [59] AK



Farbkarte #13